



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Vetus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

TITULUS VIII.

LEX.

§. I.

Vetus.

TOrus mons Sinai fumabat. Ex. 19. 18. Quando Deus Legem volebat dare Judæis, assumpsit formam ignis. Et vocabatur ignis: *Deus tuus ignis consumens est.* Deut. 4. 24. Quando autem voluit dare Legem novam Evangelicam & gratiæ; assumpsit formam humanam. S. Vincent. Ferr. f. de S. Steph.

Meliora sunt ubera tua vinò. Cant. 1. 1. Vinum fervorem scientiæ Legalis; ubera verò dicit rudimenta Evangelicæ fidei. S. Bernardus hic.

Jam enim hyems transiit &c. Cant. 2. 11. Quid per hyemem? nisi Legis austeritas intelligenda est. S. Gregorius hic.

Harum molarum operatione, id est novi, ac veteris Testamenti, hoc agit S. Mater Ecclesia curâ pervigili; ut peccatorum asperitate discussa, ex occultis cogitationibus medullam mundi cordis eliciat; & cœlestibus mandatis mundata, ex intimis spiritualia alimenta producat. S. Maximus hom. 2. de Adv.

Lactis alimenti adsimilis est veteris testamenti educatio; solidò verò cibò novi testamenti philosophia. S. Chrysof. t. 6. f. 2. de Verb. Ap.

Populo duræ cervicis cultellus erat necessarius; & lapideis cordibus meritò cultri lapidei debebantur. - Noster autem Jesus tanquam Agnus mansuetus omnem austeritatem abstulit. S. Bernardus f. 4. in Epiph. D.

Divina Lex non novas traditiones affert; sed naturæ leges in memoriam revocat: & naturæ Scripturas, quas temporis diuturnitas hominum negligentia corrumpit, naturæ Conditor per præcones suos rescribit. B. Theodoretus f. 6. de Provid. Dei.

Hyems tempus ante Legem, scilicet sterile; in Lege æstas, tempus floridum: quia lex promittebat fructum, non dabat: in tempore gratiæ tempus fructiferum, autumnus. S. Bonav. in Ps. 91.

§. II.

Nova.

ET Judicium meum in lucem populorum requiescet. II. 51. 4. Lex Evangelica vocatur Judicium I, quia nos docet Dei Judicium,

quid scilicet Deo placeat, quid displiceat; quid probeat, quid damnet. Ex eo enim discernimus, humilitatem, paupertatem, Mundi contemptum, ei placere; fastum, avaritiam &c. ei displicere; ac consequenter Judicium Dei contrarium esse judicio Mundi. II. quia per eam, quasi per judicium, & sententiam definitivam, Deus damnavit mala Mundi opera. Cornelius hic.

Judæi sub Lege fuere quasi Alphabetarij; Christiani verò sub Evangelio perfecti evadunt Theologi. S. Cyrillus l. 9. in Joan. oportebat per Moysen, tanquam puerum, erudiri Israël; qui puerilis adhuc, & rudioris mentis, erat: ac per Christum, in quo sunt omnes thesauri scientiæ, & scientiæ, reconditi, descriptam veram, & consummatissimam nobis offerri scientiam. Cornelius Procem. in Evang.

Lex Evangelica habet se ad veterem sicut merides ad auroram, lumen ad umbram, veritas ad figuram, Domina ad ancillam. Dionys. Carth. in c. 1. Luc. Art. 1.

Lex Christi ad observantiam sui inducit amore boni; Lex autem Moysi timore peccatorum: ideo secundum Augustinum, brevis differentia Legis, & Evangelij; est amor, & timor. Id. ib.

§. III.

Leges humane.

Quem vulgatus Gen. 40. 2. 16. vocat *pistorum principem*, Septuag. & Philo Hebræus, nuncupat *principem coquorum*. Philo l. de Joseph, quid inter coquos, & medicos interfit, quis non videt? hi, quidquid ad sanitatem conducit, etiam si agro ingratum videatur, solum magnò apparant studio, illi contrà suavia curant, utilia negligunt. Ergo medicis similes sunt in civitate Leges, & Magistratus legitimi, Senatores, Judicesque; providentes communi saluti, ac securitati. Arcones in l. 3. Disc. 1.

Aliæ sunt leges Cæsarum, aliæ Christi; aliud Perpinianus, aliud Paulus noster præcipit. Sanct. Hieron. ep. 30. ad Oceanum.

